IO.

BARTOLOMEI

MARINONI PLACENT. IN
expugnationem Traiecti Carmen ad Illuſtriſſ. &
Eccell. RAINVTIVM Farneſiũ Alexandri
Farneſij Plac. & Par. Princ. F.



Viterbij cũ licẽtia ſuperiorũ Anno Dñi. M. D. LXXX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVI modò multa gemens ficto ſub nomine Mopſi
AVSTRIACI mala fata Ducis LAMONIS in aruis
Conditus obſcuro dolui mæſtiſſimus antro
Nunc CIMINI ſub Monte ſedens lætiſſimus idem
Arma viri memoro fortes qui pellere primus
Edidicit Belgas & & reddere Regna PHILIPPO.
Tu quid agis mea Calliope? quis te ſopor heu ſic
Occupat? aut quæ te vecors ſocordia vincit?
Feſtiuo armorum ſtrepitu clangore tubarum
Feſtiuo feſtis reſonat clamoribus æther
Tu quoq; feſtiuos mecum depromere cantus
Aude feſtiui dirumpant æthæra plauſus:
Traiecto ingenti Belgæ tenuere feroces
Vi potiur propria virtute inſignis & armis
MAGNVS ALEXANDER Regis ſpes vnica magna
Quem matre AVSTRIACA genuit FARNESIVS heros
Scilicet id geminos famam eſt protendere ad indos
Id Cælum petere eſt non montibus addere montes
Aſſueti bello belgæ ter cornua Regem
Contra ipſum, contraq; Deum erexere Tonantem
Hos CAROLVS primum Carolo mox NATA rebelles
Perdomuere; manet CAROLI nunc palma nepotem
Felicem tamen aduerſis vtcumq; PHILIPPVM
Dixeris; Hos placida victrix dictione teneret
MargHERITA ſoror quos vicerat; omnia namq;
Poſtea quam Regis nutu dimiſſa receſſit
Turbari, turbati animi mens effera ad arma
Corruere & rebus ſtatum mutare ſecundis
Non eſt indomitæ leges imponere genti
Cunctorum penſanda ſatis ſunt omnia ſano
Conſilio multumq; refert qua quiſq; feratur
Cernere mente virum; non Iuppiter omnibus vnus
Quos non ipſe Duces, quas non armauit in hoſtem
Rex acies? quid inauſum intentatum ve reliquit?
Quod legem & Regem deceat? ſed tempore in omni
Singula peiorem fortunam nacta nec vllo
Regis conſilio, Duce ve vllo territus hoſtis
Eia age Romanum eſt bellare & vincere? tandem

Miſſus ALEXANDER primis aſſuetus ab annis
Militiam & Martis duros perferre labores:
Vt primum hoſtiles turmas hoſtilia vidit
Agmina hic auerſam faciem ſors aſpera mutat
Bello hoſtes capti primis fuſi impetibus pars
Non campo vlterius tutæ vix ſiſtere terræ,
Audent Traiectiſeq; intra mœnia condunt
Conſilium fallax nihil eſt quod vincere virtus
Non poſſit, voto iam cedent omnia Regis.
Belgæ intra muros, vallo foſſaq; recepti
Aggeribus magnis, dura obſidione tenentur.
Obſtructiſq; tenent magna formidine poſtes
Parte alia obſeſſis acies pugnare paratas
Oſtentat Princeps vltro, pugnaq; laceſſit
Aſt ſemel experti virtutem erumpere portis
Non audent, fixumq; pati quodcumq; malorum eſt
Eſt animo potius quam ſeſe credere campo:
Ergo extra tandem certum eſt tentare viam vi
Nec mora continuo Turres & vineæ quæri
Diſponiq; cauis male olentia ſulphura foſſis
Incipiunt fortes quatit ærea machina muros
Implentur terra & ſaxis ac ſtipite foſſæ
Hærent parietibus ſcalæ ſonat ariete porta
At bene tormentis munitus & aggere fortis
E contra magnas molitus manibus arces
Belga ferox intus magna virtute reſiſtit.
Atq; inuadentes muro propulſat ab alto
Tum vero vltrices exarſit Ductor in iras
Belliger, inſtauratq; aggreſſus marte ſecundos
Marte nouo tormenta iubet iubet ocyus omnes
Eſſe loco indicitq; diem, quo pugna futura eſt.
Textas viminibus crates ſcalaſq; parari
Innumeraſq; trabes, tabulaſq; & deniq; quicquid
Militiæ, & rerum docuit longiſſimus vſus
Imperat, atq; omnes faciendo hortatur, & armat:
Nec minus interea duro ſua membra labori
Obſeſſi eripiunt ceruoſq; ſudeſq; præuſtas
Tilia, loricaſq; parant, pinnaſq; frequentes
Vna omnes operi inuigilant cura omnibus vna,
Non eſt nocturni, non temporis vlla diurni
Hora intermiſſa, ægrotis non temporis vlla,
Vulnera non paſſis placidam dedit hora quietem,

Iamiam Phœbus referebat ab æquore Lucem
Irridians caſtris, dederant caua timpana ſignum
Monſtrarant cantu vix claſsica rauca ſonoro
Ornatam radijs cælo fulſiſſe Dianam;
Auratis quando PRINCEPS proceſſerat armis
Conſpicuus campum in medium, quem deinde ſecuti
Ductores primi, forti, cinxere corona,
Stant acies inſtructæ animos, & pectora fortes
Irruere in muros cupidæ arma arma arma frequentant,
Ille vbi feruentes animos, & neſcia vidit
Agmina ſtare loco luſtrauit, & omnia circum
Terq; quaterq; oculis diſponit, & ordinat omnes
Dat certos cuicunq; locos & munera cuiq;
Partitur mandatq; Notis vexilla reſolui,
Militibus dari ſignum vix ore locutus,
Fragore armorum horribili clangore tubarum,
Horrifico clamore virum circum ſonat æther,
Terribilj tormenta foco vomitantia ferrum
Bellica terrificant animos & murmura miſcent
Grandia completur ſtatim Cælum omne querelis:
Tu Mars, Tu Bellona potens, qui ſtridere ferrum
Nequaquam horretis, vos qui vidiſtis, & iiſdem
Militibus vires animoſq; dediſtis, & arma
Haud pigeat nobis ex ordine cuncta referre,
Abfuimus quando, & tantos non paſsa tumultus
Armis Calliope veſtris perterrita fugit.
Irruit in muros nimium generoſa iuuentus
Certa mori, aut palmam deuicto ex hoſte referre.
Mille hærent ſcalæ ſub eodem tempore muris,
Ante omnes FABIVS magnum Farneſis proles
Quem dederat bello indomitum, indomitumq; labore
Conſcendit vallum, atq. alios inuitat eundo,
Hunc germanorum Ductor fortiſsimus heros
ANNIBAL Altempſis bello clariſsimus omni
Inſequitur ſumptiſq. potens OCTAVIVS armis
Gonzaga de gente ſatuſquo Mantua gaudet,
Multi præterea, quos non meminiſſe neceſſe eſt,
Fit vis vi, feriunt pariter, pariterq. trucidant,
Tantorum virtute Ducum MORS viribus iſtis
Vſa diu incuruam tenuit lætiſsima falcem
Ipſe locos Ductor Ductorum maximus omnes
Perluſtrat, celeriq. pede huc diſcurrit, & illuc

Stridor vbiq; ferus turbant lacbrimoſa cadentum
Lamenta,& gemitus ipſos in mœnibus hoſtes;
Quin etiam fuerant nullo quæ vulnere læſa
Exſolui poſtquam nequeant diſcrimine tanto
Semiſepulta iacent immani corpora foſſa :
At Non aduerſo hoc terrentur Marte feroces
Primi illi in vallo Ductores vndiq; ſepti
Tormentis, teliſq; acies, ſed rumpere certant
Hoſtiles totamq; ardent percurrere Terram;
Atq; vt vere nouo zephiris ſpirantibus vna
Turbati rapidiq; ruunt de montibus altis
Torrentes gemini vario qui calle ſequentes,
Saxa trahunt vellunt celſis de rupibus altas,
Præcipitantq; trabes ſata læta boumq; labores
Profundam in vallem referunt, certantq; viciſſim
Vicino Agricolæ maiorem ferre ruinam,
Sic illi in geminas ſciſſi per mænia partes
Diſcurrunt feriunt certatimq; agmina rumpunt,
Præcipiteſq; trahunt multos de mænibus hoſtes,
Quos contra magna ſtipati hinc inde cohorte
Belgarum primi inſurgunt propellere nixi
Et FABIVM ante omnes dederat qui millia letho
Corpora ſudabant inimico membra cruore,
Millia iamq; vnum circumſtant agmina mille
Circumſtant acies, rotat ira feruidus enſem
Obtruncat, ſternit, laniatq; feritq;, fugatq;,
Terret, præcipitat, conculcat, pellit,& ariet
Innumeros mandat nullo medicamine egentes
Vix tamen e numero tantorum deeſſe videtur
Vnus, proq; illo viſi conſurgere mille,
Vt quondam capite abſciſſo ſeptena repente
Multiplicata ferunt Lernæo ſanguine tincta
Tellure, Alcides premeret cum maximus Hydram:
Dinumerem potius nemoroſis Alpibus omnes
Quotquot flaueſcant Autumni tempore frondes,
Aut de concuſſa quantum pluat ilice glandis;
Quam ſtragem ingentem referam, quam miſſa ſub umbras
Illius enumerem crudeli corpora ferro
Iam ſtabant omnes aliena pericula cautos
Reddebant FABIVM ſpectantes lumine toruo
Nec propius conſerre manum fiducia cuiquam
Cum vaſta ſe mole mouens vir magnus ad hæſit

Hic paucos illbic multos iubet eſſe, miniſtrat
Hic grande auxilium ſurgentibus, increpat illbic
Surgentes illos tardare hos ſurgere cogit,
Arguit hunc, illum laudat ſtat cura cadentes
Attolli, atq; alios laſſis ſubmittere cura eſt,
Vulnera iam paſſos cura eſt diſcedere campo,
Magnanimumque cura Ducem quæ cura fidelem
E docuit docuit quanta experientia rerum eſt.
At Belga in muro tutus munimine Terræ
Et iaculo ſaxiſq; ferox atq; ignibus ardens
Obſiſtit foſſaſq; aduerſo milite complet;
Impauidus ferro campum Mars currit vtrumq;
Vnde rapit mors atra virum non ſubtrahit alter
Inde pedem fiunt immania corpora ſcalis
Noſtrorum, Belgarum propugnacula muris,
Interea æquali dum talia Marte geruntur,
Audaces nimia Belgæ formidine facti,
Grandia conuoluunt tepefacti pondera plumbi
Diſiectæque arces lapidum, gens obruta mole eſt
Maxima, lamentis totus iam perſonat æther,
Hærenteſq; ruunt ſcalæ de mænibus altis,
Pars diſiectæ etiam nimia dum mole grauantur
Præcipitant ſecumq; trahunt ſua pondera gentes
Ac veluti quando Autumno ſtridentibus Euris
Monte ſuper celſo, vel fulmine corruit icta
Improuiſa domus muro fundata vetuſto,
Omnia conſternit, natoſq; vnaq; parentes,
Obruit hic palmas fragmentis ſoluit vtraſq;
Ille caput pars vna pedes, pars brachia toctas
Pars ipſo fugiens deprehenſa in limine partes
Corporis extremas lapidum ſub monte reliquit
Extollitq; caput, totum pars obruta corpus
Surgere nixa mouet magna virtute ruinam,
Non tamen attolli, nec mortis ſpicula poſſunt
Effugere auxilio fruſtra vicinus inhæret,
Regius haud aliter miles certamine in iſto
Obruitur, nullaq; poteſt virtute leuari,
Saxa trabes, rudera & tabulæ fragmenta ſagittæ,
Semineces artus, & mixta cadauera, viuis
Corporibus, quæ flamma vorax conſumit, & ardet
Mixturam horribilem referunt indigna relatu,
Preſentāt miſerum ſpectacula, fertur auras

Apprehenſare ratus medium, vel tradere morti
Stringendo certus, vel carcere claudere cæco
Captiuum augebat ſolitas audacia vires,
Hunc FABIVS cubito quamquam ſupereminet vlnis
Apprehenſum ambabus dextra læuaq; rotatum,
Aethereas tandem magna vi tollit in auras,
Et caput excelſa cæli venientis ab arce
Enſe repercuſſit luſor ceu flamine follim
Turgentem ſonuerunt icta caſſide criſtæ,
Atq; adeo potuit tantus furor additus ictu eſt.
Si qua fides vero eſt, artus quod ſpiritus eſſet, &
Omne velut fumus, tenues ſeceſſit in auras,
Sic vinum ſerias penetrantia fulmina ſorbent,
Quæſitum nulla corpus regione repertum eſt,
Atq; relaturo mihi nomina nomen ademit,
Excepit tantum vacua arma ſonantia campus.
Sic Cycnum ad troiam fama eſt cecidiſſe ſub armis
Nec minor ardebat cædes vbi maximus ille
ANNIBAL impauidus currebat mœnia telo
Pugnabant, & vbi Ductorum cætera turba,
Ipſe autem PRINCEPS rerum cui maxima cura
Stare indefeſſos poſtquam certamine tanto
Cernit ad huc magnam palmæ ſpem ponit in armis
Iſtorum reuocatq; viros ad mœnia rurſus,
Et pugnam inſtaurat, genteſq; in prælia cogit,
Tempore traiectum potuit cecidiſſe ſub illo,
Et cecidiſſet enim ſed dum ſe credere ſolu
Terram intra FABIVS qua denſius aſpicit agmen
Intentat tanto finem quæritq; labori,
Fulminis in morem magno ſtridore per auras
Ignis ad icta volat vi ferrea pila viniq;
Hæſit in aduerſo ſub tempore fixa cerebro;
Heu genus armorum inuiſum ſcelerata cupido,
Ambitio potius fabrili laudis in arte,
Vt quid in humano poſuiſti pectore ſedem?
Militiæ culpatus honos tua culpa receſſit
Gloria militibus primæuo debita bello,
Inſultat (tua culpa) bono ſæpe improbus hoſtis,
Nec petit vlterius campo diſcrimina virtus
Tot (tua culpa) viri inſignes cecidere cadentq;
Inſignes tot ad huc quod non mentitus in illo
Eſſe reor fuerit quod monſtro immanior omni,
Gloria

Quicunq; ille fuit teli fabricator, & author:
Crediderimq; Deum, vt non impunitus abiret,
Tartareis iratum animam clauſiſſe ſub vmbris,
Sons vbi triſtatur ſcelerumq; inuentor Iudas:
Machina ter tentata foco, ter reſpuit ignes,
Herois mortem tanti indignata nefandam;
Verum crudeli parere coacta magiſtro
Irata in varias partes ſe ſcindit, & ipſum
Iam factam cineres tollit Leſtrigona in auras:
At poſtquam exanimis foſſa conſpectus in alta eſt
Qui fuerat FABIVS. magnum Iouis incrementum;
Conſternati animi, magno perculſa timore
Corda labant, variiſq; vices in pectore verſat
Miles, & attonito ſteterunt in vertice crines;
Vt vero agnati vultum, pallentis, & ora
Vidit ALEXANDER. turbato pectore magnum
Ingemuit, tenuit fletus vix mæſtus amaros;
Heu quantum caruiſſe optauit munere tanto,
Optauit quantum licuiſſe in mœnibus atram
Illius vlciſci crudeli funere mortem;
Si liceat quales pœnas mihi Belga dediſſes?
Iamq; videre illum videor, ſine munere ſcalæ
Scandentem curſu muros, ſimilemq; volanti
Inſectantem hoſtes, & magna cæde madentem,
Stillantes ſanie muros, taboq;, cerebroq;
Aſpicio, multoq; vndantem ſanguine Moſam:
Sed quoniam præſens diuerſa negocia tempus
Poſcit, & exanimem lacrymari nulla voluptas,
Efferri corpus, ſuaq; in tentoria mandat
Seruari, meliuſq; ratus ſuperare ferendo
Fortunam, atq; aliqua ſecedere ſoſpite parte
Quàm peiora pati, poſtquam non vlla poteſtas
Inſtaurare acies, aut hoſtem pellere muro,
Præcipit, & ſtatim reuocat caua buccina gentes,
Impoſitoſq; canit de more inflata receſſus,
Excipiunt tacitos omnes ſua caſtra, locoſq;
Quiſq; ſuos ſubeunt, ceſſant mala murmura paſſim.
Defeſſi longo ductores membra labore
Suſtinuere die, tota, qui mœnibus hoſtes
Armati vt fuerant innixi haſtilibus altis
Mittunt ſe muro, atq; hoſti loca libera linquunt.
Qualis vbi dudum per læta laconicus ardens

B

Arui infeſtauit leporem, quem ſilus feroci
Abſtulit, inſtaret cum iam pauidumq; teneret;
Cogitur ad domini voces, & nota reuerti
Sibila, lentus abit, propriam culpare videtur
Segnitiem, greſſumq; tenet, longumq; moratur.
Reſpicit interdum præda moeretq; relicta
Exoptans iterum propero contendere curſu.
Signo illi tales redeunt in Caſtra recepto,
Atq; inde letam poſt tot certamina rurſus
Stare dolent, terram, cupiuntq; in bella reuerti
Vltimus ipſe ſuam repetit qui caſtra gubernat
Omnia ALEXANDER ſedem, ægrotiſq; mederi &
Vulnera perpeſſis, refici quoſcunq; neceſſe eſt
Iuſſit, & vrgentis fortunæ incomoda prudens
Ferre animo inuicto hortatur meliora morantes;
Fortunam immitem ceciderunt millia campo
Multa virum, multi redierunt corpora feſſi;
Quos ſuper indoluit caſus miſeratus vtroſq;:
Vt vero inuiſit FABII graue corpus amatum,
Circum fuſa tenet tædas vbi Turba ferales,
Ingemuit magnis adſtantum planctibus æther,
Ipſe autem aſpiciens lethali vulnere corpus
Tabificum, ſtetit immotus, defixus in illo
Lumina pallenti, ceu lecta liguſtra virente
Sole ſub ardenti, vel mollis Achantus in horto,
Inde trahens imo ſuſpiria pectore tales
Prorupit lachrymans in voces atq; ita fatur:
Heu hominum vanæ mentes, & inania vota,
Tune ille es FABIVS muro quem nuper in alto
Vidimus hoſtiles magna vi rumpere turmas?
Tune ille es FABIVS, quem ſi fata aſpera dudum
Seruaſſent, poteras Belgas confundere ſolus?
Sunt hæ illæ palmæ, aut eſt hæc ea dextera nuper,
Quæ, Ah Deus omne potens, tot ſtrauit millia letho?
Hoc illud pectus, nuper quo exercitus omnis
Seruatus magno viuit Regiq; mihiq;?
Nunc vbi ſunt illæ vires? vbi maxima virtus
Quæ tantum potuere? Iaces heu inclite, ſed non
Non hæc ſperauit de te, cum te mihi magnum
Mitteret auxilium genitor meus, ille triumphos
Credidit ingentes; Tellus te barbara habebit,
Percutiet qualis fraternas nuntius aures,

Illorum quando ſpes tecum extinguitur omnis.
Hei ſcelerata manus nobis inuiſa, Deiſq;
Quæ ferrum & puluim, infandos quæ ſuſcitat ignes
Morte Virum indigna crudelis Barbare talem
Extinxit, excelſo qualem non cernit olympo
Emenſus Cælum dum conſpicit omnia Phœbus,
Horruit ipſa necem pietate eſt machina mota
Ipſa, ſed infenſum pietas non vlla mouere
Te potuit, viuens nec forti in pectore virtus
At tu magne FABI, quem functum munere vitæ
Lugemus mœſti in Terris gratumq; tonanti
Credimus errantem per celſa palatia Cæli:
Ne dubita, dabitur, ſi quando intrare poteſtas
Victori hanc terram, pendent mihi ſanguine pœnas
Immanes Belgæ magno; non hoſtibus vlla
Deuictis fuerit pietas. vaſtabitur igni,
Et ferro quodcunq;. fuat male perditus hoſtis
Ipſe ita Dij faueant, non iſta incœpta relinquam.
Quin ſpolia ampla feram deuicto ex hoſte ſuperbus
Mærorem his dictis magnum monſtrauit, & iram,
Hinc inhumata iubet mandari corpora terræ
Omnia nobilium, conſumi cætera flamma:
Quis mos militiæ eſt antiquo à tempore nobis.
Tu quoq; menturatæ claræ ſpes optima ſtirpis,
Quem bello Iuuenem generoſa Placentia miſit,
Quem primos inter ſcandentem mœnia Mauors
Vidit, & exanimem doctæ fleuere ſorores
Heu miſer ignota ANTONI tumulabere terra.
Felices animæ cur non mea carmina poſſunt?
Letho, & lethæo raperem de flumine cunctos,
Staret magnus honos, & nomina magna manerem
Aeternum, fruſtra legiſſent ſtamina parcæ.
Interea audita noſtrorum clade recenti
Maximus ille, Dei in Terris qui fungitur, altas
Suſtentatq; vices, paſtorum maximus ille
Nectere cui ceſſa eſt, & ſoluere vincla poteſtas;
Theſauros aperit cæleſtes, maxima dona,
Et larga totum palma diſpenſat in orbem:
Vndiq; ſollicitæ gentes pro munere tanto
Excidium implorant Belgis, noſtriſq; ſalutem
Militibus, Chriſtiq; fidem ſubſiſtere ſanctam
Orat, ſupplicibus iungit ieiunia votis.

Hæc eadem in Caſtris præcepto Principis alâ
Seruantur, veniam, poſcit pro crimine miles
Quiſq; ſuo, vouetq; Deo, ieiunat, & orat,
Venerat ille dies mundo gratiſſimus omni
Sanctis patrum referunt nobis, quo ſcripta piorum
Diſcipulos Chriſti geminos mandante Nerone
Robur in æternum fidei ſparſiſſe cruorem,
His quando moti votis, & voce precantum
Empyrio late ſpectantes æthere Terras
Gallorum magnis defixi lumina regnis
Conſpiciunt Belgas populos, & regia Caſtra,
Atq; ibi noſtrorum miſeratus vterq; labores
Aeternum affari vnanimes cœpere parentem
O qui quodcunq; eſt cœlo, terra q; mariq;
Aeterno ſceptro firmas, & lege gubernas
Perpetua, dignatus homo qui virgine naſci
Humanum genus vt tenebris, & carcere cæco
Eriperes Acherontis, atrox heu mortis amaræ
Supplicium innocuus nequaquam contremuiſti,
Cuius poſt etiam nos digna exempla ſecuti
(Aurea lux renebit nobis hodierna tot annos)
Fudimus, atq; tua eſt diro ſub Principe Romæ
Hinc firmata fides digno pro nomine vitam,
Reſpice, Traiectum quanta virtute fidelis
Obſideat populus quinto iam menſe, vel vltra,
Reſpice quot miſeri ſtrages, quot triſtia paſſi
Pro te, pro q; tua ſunt ſancta funera lege,
Numinibus noſtris inimico vrgentur ab hoſte,
Tu, ſi qua eſt pietas ſacrato pectore, tandem
Victores face, Traiecto liceatq; potiri
Et Caſtris, quæcunq; tenent oppreſſa rebelles,
Ex orent ſine te cuncti, ieiunia, vota,
Exaudiq, preces, culpant ſua crimina paſſim
Pœnitet errorum multorum, reſpice quales
Delictis veniam poſcunt, miſerere tuorum
Si non vlla mouet pietas te gentis amicæ
Reſpice ALEXANDRI virtutem Principis æquo,
Qui regit imperio populos pro Rege gubernans
Solus in arma ruit de tot mo do millibus vnus
Barbarie infida pro te ce rtare paratus,
Turcarum Naupacteos reminiſcere fluctus
Sanguine ſpumantes virtute vnius, & armis

Quod ſi nec magni ſpectas ingentia facta
Religio moueat ſaltem te magna parentum:
Inſtaurat genitor tot templa OCTAVIVS ingens
Auſtria tot genitrix ædes tibi dicat, & aras
MARGHERITA, tuo ponis de nomine templum
Marmoreum patruus, nec Romæ maius habetur:
Eſto non iſtis quicquam moueare mouebit
Non te Iuſtitia, & magni prudentia Regis?
Non bello is quærit reddi ſibi regna, ſed optat
Qui tibi quiq; tuæ legi parere recuſant
Debellare armis, qui Cœli numina ſpernunt.
Quid ſi illos ſineret placito ſibi viuere more
Non foret extinctus belli furor omnis, & iræ?
Reddita iam dudum ſua Rex ſibi Regna teneret:
Quod ſi nec Regis pietate inflecteris vlla,
Quid noſtræ valuere preces? quid poſſumus ambo?
Da pater Omnipotens ſparſo pro ſanguine nobis
Hac cecidiſſe die Traiectum, ſentiat arma
Amborum infidus Belga, experiatur & iras
Non nobis domine hæc, non nobis gloria detur
Iſta, tuo hanc potius magno ſub nomine ſerua,
Ne quando dicant gentes vbi Chriſtus eorum eſt?
Talibus orabant quando lectiſſima coniunx,
Quæ fuit in terris lecto ſociata iugali
Fortis ALEXANDRI Cœli nunc lumine læta
Conuertens MARIA ad Chriſtum ſua lumina eundem
Si quid quo cæli tu me dignatus honore es
Gratum egi pater in terris dum vita maneret
Vnum oro hoc (inquit) victori intrare marito
Hanc Terram liceat, quo ſancto nomine fiſus
Interdum maiora auſu maioribus auſis
Partaq; veſano cæleſtia Regna labore
Adueniat, tunc cum præfixa aduenerit hora;
Et quo non potui mortalis longius illo,
Poſſe frui liceat celeſti ſede beatam
Ceſariem intonſam motans pater optimus ollis
Annuit, & totum nutu tremefecit olympum.
Illo forte die grauiori in pectore curas
Ambiguus rerum Princeps verſabat inaneis
Anceps, educat caſtris ne in prælia gentes
Terram aggreſſuras; alio vel tempore tardet
Hæc alternanti coniux gratiſſima quondam

Conſpicui excelſo quales ſtant axe beati
Adſtitit alba veſte nitens radijſq; coruſca
Et gemmis ornata alijs quas indica Tellus
Non tulit, eſſe Deam dicas (atq; eſt Dea certe)
Adſtitit atq; illum cunctantem talibus infit
Quid dubitas Decus Auſoniæ chariſſime cõiux
Iſta armare die totas in prælia gentes?
Proſpice & ipſa tibi argemam quæ lumina circum
Infeſtat viſus errans, mira arte leuabo
Purpureo indutos muris quos cernis amicta
Stare ſenes, ambo ſunt maxima numina Cæli:
Clauiger ætherei qui clauſtra recludit Olympi
Petrus. & enſe manum ferratus Paulus acuto,
Subſidium regi atq; tibi iam meta laborum:
Quid dubitas? nam vera vides non ſomnia narro:
Educ iam Caſtris gentem victoria certa eſt
Nil deſperandum Petro Duce, & auſpice Paulo:
Tendentem palmas atq; oſcula cara petentem
Deſerit, & tenues ſolata receſſit in auras.
His diuum Lætus monitis, & coniuge viſa
Magnanimos ſubito Ductores cogit in vnum,
Conciliumq; vocat placidoq; ita pectore fatur.
O ſocij, quæcumq; fuit fortuna ferendo
Vicimus, & quamquam extremo certamine multi
Defecere, tamen penſanda aduerſa ſecundis
Prælia, victores campo fudiſtis aperto
Ingentem populum primi, victoria prima
Veſtra fuit, decimoq; tamen bellatur in anno
Si non ex voto ſuccedunt cuncta, leuanda eſt
Fortuna ingenio, cui quodcunq; hauſimus vni
Iacturæ, tribuiſſe licet, nec noxia noſtra eſt
Vlla, intra cincti ſunt hoſtes oppida campo.
Quid decuit feciſſe igitur? iura optima belli
Expugnare iubent terras, non cedere victor,
Debuimus totis inniti viribus iſto
Poſſe loco, poſſe hac tuta regione potiri;
Qua nos, ſi quando premeret fortuna tueri
Poſſemus, fortes vectato flumine victu,
Fecimus, euentu aduerſo fortuna reſiſtit
Nuſquam cedendum eſt, ſed contra audacter eundum,
Nunc animis opus eſt ſocij, nunc pectore forti,
Hac promiſſa die nobis victoria, diuum

Auſpicio Petri, & Pauli, ſtant mœnibus ambo
Armati, pugnam cieunt, hoſtiq; minantur
Vidi egomet gladium atq; ingentia pondera claues
His dictis cunctorum animos accēdit & vna
Inſtructas acies mandat ſub mœnia cogi
Quam rebus ſeriem ſeruent, ac quicquid agendum
Præmonet, & meritus primo decoratur honore
Vt ruat in ſæuos hoſtes Altempſius heros
Nil illi contra, parent, & iuſſa faceſſunt,
Neſcio lethæo an forſan pia numina rore
Belgarum ſparſere oculos quin noſtra viderent
Caſtra vel illorum potius vecordia fecit
Diſpoſitæ raro excubiæ cuſtodia rara
Apparet muro, noſtri iam mœnia ſcandunt
ANNIBAL ante omnes multi comitantur euntem
Intrepidi (timeat quis enim ſociatus ab illo)
Scandit, & ecce grauis pro multo pondere ſcala
Frangitur, exceptoq; illo, nam dextera murum
Iam tenet, in foſſam cuncti redeuntq; caduntq;
Heu quantum ſperare licet de numine ſancto
Exurgunt nulla offenſi ſua corpora parte
Ipſe heros ſolus muros percurrit & hoſtes
Infeſtat truncat, pulſat, propulſat, & vrget,
Sed neq; contentus muro ſe mittit, & ipſam
Iam terram ingreſſus multos cæditq; fugatq;
In fortes quoſcunq; ruit mala multa minatus
Intranti ſaltu terram timuere ſodales
It vaga fama volans narratq; augetq; periclum
Magnanimo auxilium Princeps magna agmina mittit
Ipſi etiam in muris ſcandentum Corpora diui
Hinc atq; hinc ſtantes tollunt, via limite lato
Inter vtrumq; manet, qualem Romanus ad vndam
Tibridis aſpectat dum tranſit ponte vetuſto
Ad vaſtam hæc eadem gemina inter numina molē;
Complerant noſtri iamq; omni parte volantes
Mœnia, deiectiq; illis ac Turribus hoſtes
Conuenere foro, vicisq; patentibus, omnes
Ad ſtricti in cunei formam certare parati
Aduerſæ occurrant acies ſi partibus vllis
Aſt vbi iam totoex muro videre ruentes
Nec ſe æquo miſiſſe loco, ſpes nulla ſalutis
Tela manu abijciunt extremaq; littera Terra

Iam curſu petiere fuga ſpes cunctis repoſta eſt

Maxima victores populati tecta, domoſq;
Solantur læti iam mille pericula præda,
Infantes trahit hic, mæſtos trahit ille parentes
Atria fœmineis reſonant vlulatibus intus,
Deplorant mæſtæq; toros, dant oſcula portis.
Et ſuper inſontes lacbrimantur triſta natos
Amplexæq; viros vna pereuntq; caduntq;
Reſpicere ætatem, & ſexum palmamq; ſequi iam
Non prædam lætus Princeps viciſſe iubebat
MOSA fluens magno vogeſi de monte per amplam
Inſignis terram, partes diſcindit in ambas,
Quarum quæ ſolis fortiſſima ſpectat ad ortum
Tuta manet magnis muris, & flumine foſſo &.
Huc gentem parte ex alia ingens marmoreus pons
Traijcit, huc Belgæ poſtquam pars maxima vergens
Solis ad occaſum multo confunditur hoſte,
Decreuere alto traiecti flumine, ponte
Inciſo, ſortem rurſus ſperare ſecundam
Conſilio incumbunt, ſed non Alicmpſius ille
Annibal & vere, nec enim dedit africa talem
Annibal haud quaquam patitur, ſed ponte ſuperbo
Inſilijt prior, & pontem prior occupat ipſum
Vtq; olim vt fertur Romanus Horatius omnes
Tuſcas ponte acies tenuit, non ſegnior illo,
ANNIBAL hoc pariter Belgas in ponte retardat
Nec timet armatas hinc atq; hinc ſtare cohortes
Enſe uiam ſternet, ſi non defecerit illa
Viua animo virtus, alacriq; in corpore vires:
Non mihi ſi linguæ totidem ſint ora manuſq;
Sint totidem, quot quot fama eſt habuiſſe gigantem
Centimanum poſſem ſcribendo ſingula fari
Funera, vel ſtrages ſcriptis æquare canendo,
Quaſcunq; ediderit ferro fortiſſimus heros,
Inter vtraſq; acies ſtat Belgarum, inter vtrumq;
Agmen, ne coeant, medius prohibetq; cauetq;
Fulmineum impatiens vibrat gladium ocyor Euro,
Nunc hos, nunc illoſq; ferit ſtant eminus omnes,
Et furijs magni cedunt victoris, at ille
Ad terræ intactam partem ſe vertit, & ira
Turgidus excidium ferro flammaq; minatur:
Obijciunt Belgæ portas, & mœnibus altis

Igneo

Ignes, ſaxa, trabes, & marmora, ligna: columnas,
Conijciunt, certantq; hoſtem propellere portis,
Ipſe autem in foribus ferro ſpectandus & auro.
Exultat, veluti exacto iam tempore Brumæ
Ad ſolem exutus co luber ſquallore vetuſto,
Pelle noua inſignis, trifida linguaq; ſuperbus,
Conceptos oculis ingentes euomit ignes,
Pertranſit quacunq; locos animalia cedunt,
Aſpectum horreſcunt Belgæ, ſtat ponte tremendus
Contemnit, ridetq; faces, & quicquid ab alto
Iactatur, fremit ore ferox, foribuſq; propinquat;
Vt vero ingenti fortem videre ruina.
Pulſantem, & magnos vellentem à cardine poſtes,
Contremuere omnes, it circum viſcera ſanguis
Intima, pallenteſq; artus, vultuſq; reliquit;
Aeratæ cecidere fores, ſonitumq; dedere
Ingentem, tremuit vaſto ſub pondere tellus.
Quid faciant Belgæ? non iam ſpes vlla ſalutis,
Nulla fugæ, irrumpit iam celſa palatia miles
Regius, incumbit prædæ, cædemq; minatur
Ingentem, miſeri palmas prætendere inermes
Proſtrati incipiunt, veniamq; precantur ab ipſo
Principe, clementis magna pietate vocati:
Ille ergo cunctos & prædæ & parcere ferro
Edicit, recipitq; humiles, parcitq; precanti.
Ipſe tamen Dictor qui Belgica rexerat intus
Caſtra, Comes Ponti Captiuus ducitur, ipſum
Fortis ALEXANDRI ſeruarunt fata Triumpho
Sic ruit ingenti bello, ceciditq; ſuperbum
Traiectum, hoſtiles vna cecidere cateruæ
Cæſa duo ex omni numero ſunt corpora noſtro
Tantum adeo potuit magni prudentia rara
Principis, atq; adeo noſtræ potuere Phalanges;
Princeps, victor, ouans parto felixq; triumpho
Poſt habitas Chriſto grates & reddita vota
Ac ſuſpenſa hoſtis Dijs auxiliaribus arma
Circum errat lætus per luſtrans mœnia Terræ,
Quoſq; olim ferus optauit ſubuertere muros,
Euulſamq; videre Vrbem, nunc feruidus inſtat
Arte noua renouare, iuuat meminiſſe laborum?
Finitimi excidio, & memoranda cæde recepta
Traiecti, proprijs melius diſponere rebus

Incipiunt ſeſe dedunt, nec ſceptra recuſant
Irati Regis, ſoluunt vexilla Philippi
Nigram Aquilam media inter lilia delectantem.
Iam curas pone ingentes Rex maxime votis
Concedit fortuna tuis, tibi perdita regna
Reddit Alexander gentes dum vincit, & Vrbes,
Hac palma abſumptos fruſtra ſolare tot annos,
Magnaq; iactati argenti tot pondera, & auri,
Cernis, vt ipſe tuo, merito tua maxima cura
Seruitio enixe incumbat, digniſsima proles
Nata ſorore tua, nec dulcia pignora natos
Deſeruiſſe, patrem, aut Regnum, aut charam genitricem
Triſtatur, tua præ proprijs tua commoda ponit,
Cætera cuncta tibi, ſolum ſibi poſcit honorem.
Ardua res bello duros eſt vincere Belgas.
Sed quid non non virtus, quid ve experientia belli,
Maieſtas quid, fortuna comitante laborem
Non potuit? quæ cuncta omnes mirantur in vno
Principe ALEXANDRO Res nõ dubitabilis vlla eſt
Difficilis quamuis, iſto Duce, & ardua quamuis.
Si genus & prauos, patriamq; ab origine gentem
Reſpicimus, quantos Latio Farneſia, quales
Progenies dedit alta viros? hinc nomine clari
Italiæ, & ſanctæ rebus ſuccurrere ſedis,
Seditione Vrbes, nec non ſpoliare parati.
Petri, Rainutij Rainerij hinc optimus ille
Alter ALEXANDER, mutato nomine PAVLVM
Ad Chriſti aſſumptum ſedem dixere Quirites.
Te quoq; nomen aui referentem, maxima cuius
Maxime ALEXANDER, toto notiſsima in orbe eſt
Maieſtas, dedit hæc eadem Farneſia proles
Purpura honoratum, verſatum rebus agendis,
Conſilio; rerumq; immenſa mole potentem.
Tu forti patruus, ſed eiuſdem nominis ambo.
Tu pace, hic bello certatis vterq; viciſsim.
Non ego te pace inſignem, belloq; furentem.
Gloria qui nato, natus cui gloria magna eſt
Tranſierim Octaui, quo læta Placentia fluctus
Regnante hoſtiles, non aurea Parma timebunt.
Occidit indignis primo ſub flore iuuentæ
Heu ſortem inuiſam, generoſus HORATIVS armis.

Altius hic potuit Farneſia nomina ſolui
Tollere ſed nimium properantia fata vetaſtis
RAINVTIVM inuidis Romæ fortuna potentem
Angelicis titulis oneratum, feruida virtus
Inuicta meritum lacheſi ſuper aſtra locauit.
Hi patriæ gentis; Materni eſt ſanguinis autor
Monſtrorum domitor CAROLVS, dedit Auſtria quintũ
Regem Romulidum ſoboles, qui inſignia magni
Imperij, tulit Herculeas plus vltra columnas,
Atq; Aquilam ignotum primus portauit ad orbem,
MARGHERITA ingens hoc magno Ceſare nata
Edit Alexandrum, Tiberini ad fluminis vndam,
Nec minus hæc eadem bellis aſſueta, furentes
Iam domuit Belgas, obſcura eſt fama Camillæ
Illius exemplo, cedit fortiſſima palmam
Pentheſilea furens, virtutem traxit auitam,
Romanam, Auſtriacam & generoſa matris ab aluo
Magnus ALEXANDER, Magnæ ſpes altera Romæ,
Iam grandes ergo Marios, duroſq; Catones,
Fabritios, Brutos ſileat, ſileatq; Camillos,
Marcellos, Fabios, Curios, Decioſq;, Metellos,
Pompeos ſileat magnos, & ſulmina belli
Scipiadas geminos, magno cum Cæſare, & vnum
Iactet Alexandrum magno ſua Roma triumpho.
Theſea quid memoras? quid Græcia tollis Achillem?
Tindaridas geminos, geminos quid tollis Atridas?
Tollis Alexandrum Macedo quid, ſiue Philippum?
Cunctorum obſcurat tandem Farneſius ingens
Nomina ALEXANDER, factis, & nomine clarus.
O fortunati pro tanta prole Parentes
Viuite, ſi Terris dant viuere fata, beati,
Aeternos ſobolem vnanimes videatis in annos
Durare, & lætos per ſecula cuncta nepotes.
At tu magne Puer, quem nunc noua ſuſcitat ætas
Et noua per varios deducit ſemita calles,
Semideis generate Puer, cui regia ſceptra
Luſitanorum. & materno Algarbia regna
Heredi tanquam debentur iure, tuorum
Maxima ſollicitus dum facta reuoluis auorum
Tecum animo, facito ante omnes pater excitet ipſe.
Virtutem ex illo veram, verumq; laborem

Fortunam à Diuis diſce implorare ſecundam.
Summe Pater per quem Reges regnare per orbem
Eſt certum cœli, & Terræ cui magna poteſtas,
Euentus inter varios, & maxima belli
Pondera, ALEXANDRVM magno ſeruaſſe Parenti,
Et natis, Patriæq; velis, magnæ, & Genitrici.
Calliope tenui calamo ſatis Arma virumq;
Diximus, audacter, meus eſt Natalis, abito.
Tempus, erit, quando clamabimus, Io triumphe.
Abſ. III. Cal. Octob. M. D. LXXIX.

FINIS.

Errata inter imprimendo.

pag. pri. fr.	verſ. 6. & &	&
	verſ. 12. æ bæra	æthera
	verſ. 14. ui potiur	potiur
	verſ. vlt. & vincere.	vincere.
a terg.	verſ 7. menia	mænia
	verſ. 13. obſeſtis	obſeßis
pag. 2. a fr.	verſ. 2. irridians	irradians
	verſ. 15: Militibus dari	Militibuſq; dari
	verſ. 16. elangore	clangore
	verſ 24. cuucls	cuncts
	verſ. 27. iuuemeſ	iuuenius
	verſ. 23. atu	aut
a terg.	verſ. 17. rudaces	Audaces
	verſ. 18. conuluunt	conuoluunt
	verſ eo: plumbi	plumbi
	verſ. vlt fertur auras.	fertur in auras
pag. 3. a fr.	verſ. 27. terre	terres
	verſ. 38. corpsra	corpora

BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE